



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de
Coloniae Agrippinae, 1674

Sectionis II. Summarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

Sectionis II. Summarium.

Conceditur suæ Cæsareæ Majestati facultas Preces Primarias porrigendi, seu personas idoneas nominandi quibusvis Collatoribus seu Collatricibus, quacunque illi illæve dignitate præfulgeant ad quæcunque beneficia Ecclesiastica per sacrum Romanum Imperium ubilibet constituta, sive in Ecclesijs Cathedralibus, etiam Metropolitanis, Collegiatis, vel alijs quibusvis Ecclesijs, sive beneficia sint cum cura, sive sine cura, dignitates, personatus, administrationes, vel officia. Quæ tamen facultas restringitur primò; Dummodo dignitates in Cathedralibus, & Metropolitanis, post Pontificales maiores, aut Collegiatis, principales non existant: Secundò dummodo singulæ collationes, & singulæ & Ecclesiæ, ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur. Tertio; Et ipsi Collatores Collatrices saltem quatuor beneficiorum Ecclesiasticorum habeant collationem.

Sectio II.

Hinc est quod tuæ Celsitudinis supplicationibus inclinati, dicta auctoritate, præsentium serie, eidem T. C. concedimus, & indulgemus, quod si a per te quibusvis Collatoribus, seu Collatricibus quorumcumque beneficiorum Ecclesiasticorum, & secularium, & regularium, ordinum quorumcumque per S. Romanum Imperium videlicet constitutorum, etiam si qui, vel si quæ ex illis Pontificali, seu alia quavis dignitate præfulgeant, seu Collegia, Capitula, & Conventus fuerint, super singulis beneficijs Ecclesiasticis, cum cura, vel sine cura, & secularibus vel ordinum hujusmodi regularibus & in singulis Cathedralibus, Metropolitanis, vel Collegiatis vel alijs quibusvis Ecclesijs, etiam si beneficia hujusmodi, Canonici, & præbende, f dignitates, g personatus, h administrationes, vel i officia in eisdem Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Collegiatis, & ipse præbende in illis, & hujusmodi Ecclesijs, in quibus majores vel minores præbende esse noscuntur, etiam si majores fuerint, & ad dignitates personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura imminet animarum: I dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus, & Metropolitanis post Pontificales majores,